

præsumperint, patroni juspatronatus prorsus amittant, » sunt verba, c. *In quibusdam*. 12. § *Sacri, de Pœnis*, et ibi doctores communiter, atque Barbosa, loc. cit.; Zoesius, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Engel, h. t. loc. cit.; qui tamen id limitant, si patronus id facit pro sui defensione cum moderamine inculpatae tutelae; « quia vim vi repellere omnia jura permittunt. » Cæterum juspatronatus ob hanc delicti causam extinctum, non transit ad hæredes, sed ecclesia evadit liberæ collationis, Barbosa, loc. cit. arg. c. *In quibusdam, de Pœnis*, et ibi Glossa, §. *Prorsus amittant*.

VIII. Si patronus fit hæreticus, schismaticus, aut apostata, Barbosa, loc. cit.; Engel, h. t. n. 26; Zoesius, eod.; Monet. *de Commut. ult. volunt.* cap. xi, n. 158, et alii. Ratio est, quia horum bona omnia confiscantur, consequenter et juspatronatus eis annexum, arg. c. *fin. de Hæretic.* Ex hac ratione etiam ob alia crimina v. g. læsæ majestatis, ob quæ confiscantur bona, amittitur, prout supra diximus.

IX. Si patronus ingeret se quoad dispositionem, aut perceptionem fructuum modo aliquo per concilium Tridentinum, sess. 22. *de Reform.* cap. xi, prohibito, textum vide supra n. 122.

X. Si patronus modo a sacris canonibus prohibito, vendit, aut alio modo in alium transfert juspatronatus, uti expresse statuitur in concilio Tridentino, sess. 25. *de Reform.* cap. ix, et docet ibi Barbosa, Engel, h. t. loc. cit.

XI. Et ultimo privandi sunt juspatronatus patroni, qui illud simoniace acquirunt: Zoesius, h. t. loc. cit. arg. c. *Quia clerici*. 6. h. t.

TITULUS XXXIX.

De censibus, exactionibus, et procurationibus.

1. Ratio continuationis. Ordine non incongruo præcedentem præseps sequitur titulus; quia sicut juspatronatus est onus aliquod ecclesiæ, utpote quæ alias esset liberæ collationis, ita census, exactiones, et procurationes sunt onera ecclesiarum, et benefi-

ciorum, uti statim videbimus. De qua materia etiam extant canones cau. 10, q. 2 et 3, per totum.

§ I.

DE CENSIBUS : UBI IN SPECIE DE CATHEDRATICO.

2. *Census varia acceptio.* — Notandum prius, censum diversimode accipi, et ejus nomine varia venire, ut videre est apud Calvinum §. *Census*. et Molinam, disp. 381. Potissime vero et generaliter accipi solet pro omni eo, quod annuatim alteri solvitur. Quo sensu census dicitur etiam canon annuus, quem emphyteuta singulis annis dat domino in recognitionem domini directi, juxta dicta tit. XVIII. § *de Emphyteus*. Item tributum l. *Ætatem*. ff. *de Censibus*. Principaliter etiam sumi solet pro illa pensione annua, quæ solvitur ex contractu, per quem traditur res aliqua tam quoad dominium directum, quam indirectum, reservata pensione annua. De quo censu etiam diximus in *Theologia nostra morali*, tr. VIII, dist. 4, q. 6, et extat celebris Bulla Pii V. *Cum omnes* quæ est ordine 79, apud Cherub. Verum de censibus in hoc sensu titulus præsens non agit, sed solum de illo censu, quem solvit ecclesia, aut beneficiatus episcopo, vel ejusdem auctoritate aliis. Hinc

3. *Definitur ad propositum.* — Quæritur I. Quid ad præsens, et quotuplex sit census? Resp. I. Census est annua pensio, quæ ex redditibus, seu proventibus ecclesiæ, seu beneficii in signum subjectionis annuatim solvitur episcopo, vel ejusdem auctoritate, et justa de causa, aliis. Est in re communis. Ex qua definitione liquet, quod licet illa pensio, quæ in signum subjectionis (non domini) solvitur episcopo, ad præsens principaliter, ac potissime sit, et dicatur *Census*, arg. c. 2. h. t. etc. *Constitutus*. 6. *de Religiosis domib.* Tamen nomine *Census* hic veniant etiam illæ pensiones, quæ ejusdem episcopi auctoritate, justa de causa aliis quoque solvuntur, uti aperte colligitur ex c. penult. h. t. ubi census seu pensio annua de bonis ecclesiæ solvitur canonicis, et c. *Præterea*. *de Jurepatron.* ubi patronis de bonis ecclesiæ annua moderata pensio auctoritate episcopi constituta solvitur.

4. *Et varie dividitur.* — Resp. II. Census ad propositum dividitur in novum et antiquum. Novus est, qui ab initio non imposi-

tus, nec ab aliis ecclesiis regulariter solvi solitus, primum post foundationem, aut consecrationem imponitur ecclesiis, Hostiensis, h. t. n. 4. Honor. eod. n. 6; Engel, h. t. n. 6. Et de hoc extat prohibitio, c. *Prohibemus*. 7. h. t. Antiquus est, qui statim ab initio, tempore foundationis nempe, aut consecrationis vel imponitur, vel ipso jure debetur: cujus principalis species est cathedralicum juxta dicenda infra n. 10. Deinde subdividitur in censum temporalem, et perpetuum. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 85, n. 1. et seqq. Perpetuus est, quo ecclesia in perpetuum gravata et obligata manet. Temporalis vero est, qui solum ad certum tempus singulis annis ab ecclesia, vel beneficio præstari debet. Patet ex terminis.

5. *Censum pro libitu imponere potest Papa.* — Quæritur II. Quinam, et qua de causa census imponere possint ecclesiis, aut beneficiis? Resp. I. Certum est, quod Papa novum et antiquum, temporalem et perpetuum census imponere possit cuivis ecclesiæ, aut beneficio. Omnes. Ratio est, quia Papa ex plenitudine potestatis potest de quovis beneficio libere disponere; prout sibi bene visum fuerit, c. 2, *de Præb.* in 6.

6. *Episcopus vero non nisi census antiquum.* — Resp. II. Census antiquum (videlicet tempore foundationis, aut consecrationis ecclesiæ) non tantum temporalem, sed et perpetuum solvendum pro se, vel pro aliis, etiam episcopus imponere potest. Ita clare patet ex can. *Eleutherius*. 30, can. 18, q. 2, ubi census ab initio per episcopum impositus, eidem solvi jubetur; et ex c. *Prohibemus*. 7. h. t. atque docet ibidem Glossa §. *Census*. et insuper probatur ex c. *Præterea*. 23. *de Jurepatronat.* ubi episcopus moderatum antiquum census pro patrono imponere posse supponitur.

7. *Quem semel impositum augere nequit.* — Resp. III. Census antiquum semel impositum augere postea non amplius potest episcopus, vel alius Papa inferior, textu claro c. 7. h. t.; ubi: « Prohibemus ne ab episcopis, abbatibus, vel aliis prælatis, etc. census veteres augeantur, » et doctores communiter, addentes cum Glossa ibid. et Abbate, n. 3, antiquum census augeri non posse, etiamsi augeantur facultates, et redditus Ecclesiæ. Ratio est, quia census vel datur in signum subjectionis: et tunc necesse non est, ut augeatur; cum etiam in minimo subjectio denotari queat, ut bene

advertit Abbas, arg. c. 2, h. t. vel datur et constituitur pro privato v. g. patrono, etiam tunc augeri propter augmentum facultatum non potest. Ratio est, quia in contractu censuali dominium ex toto transit in recipientem, Ecclesiam v. g. per dicta n. 2. consequenter huic, et non alii augentur facultates.

8. *Nec regulariter census novum perpetuum imponere.* — Resp. IV. Regulariter loquendo, nullus præter summum Pontificem ecclesiis, ac beneficiis, sive regularibus, sive sæcularibus imponere potest novum census perpetuum; Barbosa, in c. *Prohibemus*. 7. h. t. n. 2. et ibi doctores communiter, atque Pirhing, b. t. n. 8; Engel, h. t. n. 3. et alii, textu claro cit. c. *Prohibemus*. 7. h. t. ibi: « Prohibemus, ne ab abbatibus, episcopis, vel aliis prælatis novi census imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur, etc. si quis vero aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur. » Concordat c. *Scientes*. 3. eod. et Clem. un. § *Eadem quoque, de Supplend. neglig. prælat.* Dicitur autem regulariter, quia limitatur conclusio, I. In casu quo episcopus cum consensu capituli alicui ecclesiæ exemptionis gratiam tribuit, id est, a jurisdictione episcopali, oneribus, et juribus episcopalibus liberat; tunc enim jura remittendo episcopalia potest sibi census retinere, ut habet summarium, et textus clarus, c. *Constitutus*. 6. *de Religiosis domib.* et ibi doctores communiter. Prout etiam summus Pontifex, cum a jurisdictione episcopali ecclesiam aliquam eximit, census imponere, et accipere solet, « ad perceptæ libertatis indicium, » c. *Recepimus, de Privileg.* juncto cit. c. *de Religiosis domib.*

9. *Bene tamen census temporalem.* — Resp. V. Potest episcopus ex justa causa census non perpetuum, seu temporalem personalem novum ad aliquos annos v. g. vel vitam beneficiati imponere ecclesiis, aut beneficiis. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 85, n. 3, et in c. *Prohibemus*. 7, h. t. n. 3. atque ibi Joan. Andreas, n. 1; Abbas, in c. *Cum venissent*. 9, *de Restitut. spoliat.* n. 9; Engel, h. t. n. 3. Probatur conclusio ex iis, quæ fusiis de pensionibus imponendis beneficiato diximus tit. XII. *Ut beneficia ecclesiastica sine diminut. confer.* § 4. a. n. 87. Viso de censibus ut sic, de cathedralico nunc videndum; utpote propriissima ac principalissima census specie, ab ipso jure ecclesiæ,

ut annuatim episcopo solvatur imposita, prout statim videbimus.

10. *Censum cathedralem, quid? et unde?*— Quæritur III. Quid sit cathedraticum? et a quo, præsertim an etiam a monasteriis, et ecclesiis regularium solvi debeat? Resp. I. Cathedraticum de jure esse duos solidos singulis annis solvendos episcopo de redditibus ecclesiæ in signum subjectionis, necnon in recognitionem et honorem ecclesiæ cathedralis; Barbosa *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 86. a n. 40; Fagnanus in c. *Conquerente*, 16, de *Offic. ordin.* n. 43. atque in re communis ac certa aliorum, arg. c. *Conquerente* 16, de *Offic. ordin.* ubi dicitur: « Cathedratici nomine duos solidos venire, » et can. *Placuit*. 1 cau. 10. q. 3, ibi: « Placuit, ut nullus episcoporum præter honorem cathedralæ suæ, id est, duos solidos aliud aliquid per ecclesias tollat, » et ibi Glossa γ . *Solidos*, per quos duos aureos intelligi docet, arg. L. 2 C. de *Sport*. Hoc cathedraticum ab honoræ cathedralæ sic dictum, ut cum aliis observat Barbosa loc. cit.; Fagnanus, loc. cit. n. 44. et alii, arg. cit. can. 1, cau. 10, qu. 3. etiam synodaticum vocatur, c. *Conquerente*, 16, de *Offic. ordin.* ubi « Synodatici, seu cathedratici nomine, duos solidos; » quia olim in synodo solvi consueverat, ut bene advertit Barbosa loc. cit.; Engel, h. t. n. 5. et alii, atque innuit textus c. fin. de *Caus. possess. et proprietat.*

11. *Ad illud tenentur omnes ecclesiæ sæculares.* — Resp. II. Cathedraticum singulis annis solvere de jure tenentur omnes ecclesiæ sæculares; Barbosa loc. cit.; Valensis h. t. n. 2; Engel. eod. n. 6; Pirhing, h. t. n. 40, cum communi, ac certa aliorum, arg. c. *Conquerente*, 16, de *Offic. ordin.* et ibi Glossa γ . *Duos solidos*. c. *Pastoralis*, 7, de *Donat.* can. 1. et c. *Inter cætera*, 8, cau. 10, q. 3. Ratio est, quia ut dictum, cathedraticum datur in signum subjectionis, a qua nulla ecclesia immunis esse debet, ne acephala sit, can. *Nulla ratione*, 8, dist. 93. Quapropter, etsi aliqua ecclesia plena libertate gaudeat, tamen ad cathedraticum obligatur, ut notat Glossa in c. *Pastoralis*, h. t. et ibi Innocentius, et Abbas, qui etiam docent, nec posse episcopum aliquam ecclesiam liberare a cathedratico. Neque est circa ecclesias sæculares aliqua controversia inter doctores; bene tamen circa regulares, de quibus sequentes conclusiones.

12. *Non item regulares. Legi diœcesanæ re-*

gulares non sunt subjecti. — Resp. III. Regulares non tenentur solvere cathedraticum de monasteriis, et eorum basilicis, seu ecclesiis regularibus, ubi ipsi divina peragunt, et quæ monasteriis ipsorum contiguæ, seu immediate penes ipsa existunt. Barbosa, lib. III. *Jur. eccles. univ.* cap. xx, a. 2, n. 44; Engel, h. t. n. 6. cum communi aliorum, textu claro, can. *Inter cætera*, 8, cau. 10, q. 3. ibi: « Monasteriorum tamen basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis. » Ratio est, quia a lege diœcesana (vi cujus competit episcopo potestas exigendi jura episcopalia juxta dicenda infra) sunt exempta. Barbosa, loc. cit.; Fagnanus, loc. cit. et communis aliorum, arg. can. *Cum pro utilitate*, 34, cau. 16, q. 1, et can. *Quam sit*, 5, cau. 18, q. 2, et c. 1, de *Statu monach.*

13. *Ecclesiæ sæculares, regularibus incorporatæ seu capellæ eorum tenentur ad cathedraticum.* — Resp. IV. Ecclesiæ, beneficia, capellæ, et parochiæ sæculares, quibus regulares præsent, cathedraticum solvere episcopo tenentur; etiamsi monasteriis, aut basilicis eorum pleno jure sint incorporatæ. Fagnanus, in cit. c. *Conquerente*, 16, de *Offic. ordin.* n. 10, et n. 43, eoque teste hic omnes. Anchoranus, ibid. n. 5; Abbas, n. 1. ubi expresse fatetur, quod « licet monasteria non teneantur ad ea, quæ sunt de lege diœcesana, ut synodaticum, capellæ tamen subjectæ monasterio tenentur ad onera, ad quæ tenentur ecclesiæ sæculares, » etc. Glossa communiter recepta in c. *Inter cætera*, 8, cau. 10, q. 3, γ . *Solutionis* ubi pariter docet, quod quamvis a cathedratico exempta sint monasteria, et basilicæ regularium, non tamen eorundem capellæ, id est ecclesiæ, beneficia, et parochiæ sæculares eis incorporatæ; hæ enim per capellas monachorum intelliguntur, ut diximus supra tit. de *Capellis monach.* n. 1, et communiter fatentur doctores. Probatur autem conclusio evidenter ex cit. c. *Conquerente*, de *Offic. ordin.* ubi expresse dicitur, quod « episcopus jura episcopalia in ecclesiis, seu capellis monasterii debeat habere: » inter jura autem hæc ibidem numeratur etiam cathedraticum; ergo. Concordat Clem. 1. h. t. Ratio est, quia capellæ monachorum a lege diœcesana nullibi reperiuntur exemptæ, sed potius eidem positive subjectæ, per jura citata. et c. fin. de *Capellis monach.* atque c. de *Monach.* 12, de *Præbend.* Dices:

parochiæ et ecclesiæ monasteriis incorporatæ constituunt unum corpus cum eo, suntque membra ipsius; ergo ejusdem gaudent privilegiis. Resp. Transmisso ant. disting. consequens. Gaudent ejusdem privilegiis, quibus gaudere eas non prohibent jura, conceditur; quibus gaudere jura prohibent, uti in præsent, negatur.

14. *Quantitas cathedratici desumitur e consuetudine loci. Solidus quid?* — Quæritur IV. In qua quantitate, et quali moneta, ac quando solvi debeat cathedraticum? Item an, et quid circa illud valeat consuetudo, aut præscriptio? Resp. I. Quamvis de jure quantitas cathedratici consistat in duobus solidis per jura n. 10. citata, et solidus, juxta Glossam n. 10. citatam, idem sit ac aureus, tamen quia valor solidi non idem, sed omnino diversus sit pro diversitate provinciarum, ut late ostendit Covarruvias, lib. *Variar. resolut.* cap. xi, n. 3, et de *Veter. numis.* cap. vi, n. 5; Guttierrez, de *Jurament. confirm.* p. I, cap. vii; Molina, de *Justit. et jur. disp.* 27, n. 8, et alii. Hinc circa quantitatem taxæ attendenda est rationabilis consuetudo ejusvis diœcesis. Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 86, n. 44, et alii arg. c. *Olim*, 20, h. t. Ratio est, quia cum quantitas cathedratici sit solum determinata a jure humano ecclesiastico, utique valebit contra eam rationabilis consuetudo, arg. c. fin. de *Consuetud.* Præsertim cum tam in majori quam minori quantitate cathedratici exhiberi valeat signum subjectionis, ut bene advertit Abbas, in c. 7, h. t. n. 3, arg. c. 2, h. t.

15. *In qua moneta, et quo tempore solvendum cathedraticum.* — In quali autem moneta solvendum sit, desume ex dictis supra tit. XXIII. de *Solut.* § 2, nisi et in hoc aliud habeat diœcesis consuetudo, arg. cit. c. *Olim*, 20, h. t. et c. fin. de *Consuetud.*

Porro circa tempus licet olim non nisi in synodis episcopalibus solvi consueverit cathedraticum per dicta n. 10. tamen hodie circa tempus, quo singulis annis solvi debet, rursus statur consuetudini loci. In diœcesi hac Frisingensi singulis annis solvitur, quando celebratum annuum capitulum decanale, et quidem in quantitate duorum aureorum; quos etiam solvunt religiosi de parochiis sibi incorporatis.

16. *Cathedraticum præscriptione penitus tolli non potest. Acephalus nemo debet esse.* — Resp. II. Licet juxta dicta n. 14. quantitas

cathedratici per consuetudinem augeri possit et minui; tamen consuetudine, aut præscriptione omnino tolli non potest obligatio cathedratici. Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 86, n. 44, et lib. III. *Jur. eccles. univ.* cap. II, a. n. 5; Piasec. p. II, cap. II, a. 2, n. 11; Abbas, in c. *Pastoralis*, 7, de *Donat.* n. 7. et alii. Ratio est, quia cathedraticum principaliter datur in honorem cathedralæ, et signum subjectionis, per dicta n. 10. contra subjectionem autem hujusmodi, saltem ex toto præscriptio non currit, nec consuetudo, c. 12, de *Præscript.* et arg. can. *Nulla ratione*, 8, dist. 93, ne quis acephalus, id est, sine capite sit, ut ibidem dicitur; nec « liceat capita a membris discedere, » ut dicitur c. 12, de *Præscript.* ergo nec contra principale signum talis subjectionis, quale est cathedraticum. Limitat tamen hoc Barbosa, loc. cit. in casu, quo concurrat tempus immemoriale; quia consuetudo immemorialis æquivaleret privilegio, c. *Super quibusdam*, de *Verb. signif.*

17. Nec obstant c. *Auditis*, c. de *Quarta*, de *Præscript.* et c. *Pastoralis*, de *Privileg.* in 6, ubi aperte habetur, quod etiam contra obedientiam, et subjectionem superioris detur præscriptio, quod idem lib. II, tit. XXVI, a. n. 29. et seqq. tradi videtur. Nam contra est, quod per citata jura, et tradita a nobis supra, tantum sequatur, posse in aliquibus fieri præscriptionem contra subjectionem, ac circa jura episcopalia, non autem ex toto, prout, loc. cit. n. 53. notanter limitavimus. Et quoniam cathedraticum principaliter videtur ad continuum subjectionis signum, præscribi contra illud posse non videtur. Fatendum tamen sententiam contrariam quam tenet Engel, h. t. n. 7. sua probabilitate non carere.

§ II.

DE EXACTIONIBUS ECCLESIASTICIS: PRINCIPALITER DE SUBSIDIO CHARITATIVO, ET SUBSIDIO AD SEMINARIUM.

18. *Exactio ecclesiastica, quid?* — Notandum prius quamvis exactionis nomine universaliter veniant tributa, steuræ, collectæ, pedagia, quidagia, vectigalia, et quidquid supremi principes, aut superiores sive ecclesiastici, sive sæculares a subditis præsertim extraordinarie exigunt, c. *Cum Aposto-*